

QK. 578 3.

11. 442.

D. 11.

II g
1074

CVM

VIR MAGNIFICVS
SVMME VENERABILIS

IOANNES ERNESTVS
SCHVBERT X 2316424

S. S. THEOL. DOCT. ET PROF. P. O. MONASTERII
AD LAP. ST. MICHAELIS ABBAS AC SEMI-
NARI THEOLOG. DIRECTOR

SCEPTRVM ACADEMICVM

IN

ILLVSTRI IVLIA CAROLINA

D. 11. IAN. ANNI 1800

PRIMA VICE

OMNIBVS ADPLAUDENTIBVS

SVSCIPERET

HANC ILLI PVRPVRAM GRATVLATVRVS

PAVCA

DE

FLORENTISSIMO IVLIAE CARO-
LINAE PRAESENTI STATV

DISSERIT

AVGVSTVS VVILHELMVS HASSEL

I. V. ST.

BIBLIOTHECA
POMERANICA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(NAME)

WOLFENBUTTELI LITTERIS BARTSCHIANIS.



M. 115.

1629

1629

1629

1629

1629

1629

1629

1629

1629

1629

1629

1629





Quod in vasta hac rerum vniuersitate quotidie nobis positum ob oculos videmus, et constanti experientia edocti vix attendimus, saltim raro miramur, sæuæ mutationum legi subesse omnia, id in Academiis, bonarum artium sedibus splendidissimis, vsu quoque venire, eadem experientia testis est locupletissimus. Si enim qua vniquam publica hominum societas varia agitur fortuna: has sane omnes, quin plures mutationes ibi obuias deprehendes. Quid argumentis opus est in re luce meridiana clariore? Non alius, aut magna animi sollicitudine conquirendæ sunt rationes, ex quibus hac de re posset ferri iudicium: sunt enim in promptu. In vulgus, Academiis et docentibus et discipulis constare, notum est. Utrosque si spectaueris, vnde Academia varias posset subire mutationes, adparebit. Doctores enim, vel domicilia sua
); (2 alior-

IV.

aliorum vocati, mutant. Non enim vni terræ, vni loco, aut ciuitati destinatus est homo eruditus. Is toti orbi inferuiat, necesse est. Is omnia sua secum portat, et vbiicumque doctrinæ suæ cupidus, aut meritorum dignos æstimatores, et virtutis præmia offendit, suam habet patriam. Vel corporis valetudine, aut senio sæpius impediuntur, quo minus studiosæ amplius possint inferuire iuuentuti. Hoc enim otium desiderat. Ac licet otio litterarum, teste *Cicerone*, nihil sit dulcius: litteras quidem amant, in deliciis habent, iis vacant: aliorum tamen institutioni operam suam amplius nauare nequeunt. Quod ad litterarum studiosos in Academiis attinet: hi Academiæ fama, et doctoribus reguntur. Adfluunt, si Academia apud exteros bene audit: recedunt, si quam malam sibi contraxit notam, aut maculam. Quod si in Academia docentes magnam nominis sui celebritatem nacti sunt: iuuenes studiosi certe aduolant. Inde fit, vt maxima non numquam in Academiis sit frequentia, maximus confluxus, qui paulo post admodum minui potest. Hinc Academiarum vicissitudines.

Variis quidem his obuiam itur modis: nullo autem commodius, quam si ipse Princeps prono in Academiam suam est adfectu. Academiæ terrarum suarum decus esse atque ornamentum, diu iam perspectum habuere principes sapientissimi. Musæ enim imperium non stabiliunt solum, sed et ornant. Videre hoc est in imperio Romano. Numquam enim illud ad tantum adscendisset fastigium, tantumque consecutum fuisset roboris, nisi inter Romanos litteræ florere coepissent. Quid nostris temporibus de optima Romani status ratione quis sciret, nisi litteris hæc omnia posteris

ris

ris essent tradita? Neque hodie exempla desunt, illas terras præ aliis esse felices ac florere, vbi Academiæ aluntur. Optimi quique igitur principes de Academiis in terris suis fouendis serio cogitarunt. Non iam de emolumentis copiose dicam, quæ Academiæ civium alicuius regionis victui et amictui adferunt, cum iuvenes, vndiquaque huc adfluentes, eius sint ætatis, quæ nummos parum curare solet. Sed id tantum vrgebo, qui Academiam in sua alit ditione, principem non optimos quosque solum posse habere regiminis ministros, cum illorum selectus ipsi sit facillimus: sed subditorum commodis hac ratione etiam optime consuli, qui liberos suos in peregrinas mittere terras necesse non habent. Academiæ quoque fama exteris, in qua alitur, terram commendat, ipsique singularem conciliat splendorem, laudem ac decus.

Nihil ergo vtilius suscipere potest Princeps, quam si in sua non solum Academiam alit ditione, sed illam quoque curæ cordique habet. Fieri enim aliter tunc nequit, quam vt florentissimo illa fruatur statu, felicissima conditione. Quinque potissimum sunt momenta, quibus a Principe rite obseruatis, Academiæ salus constanter obtinetur, atque augetur. Liceat iam nobis, paulo hæc pertractare curatius: ita tamen, vt scripti nostri limites, viriumque nostrarum imbecillitatem semper nobis ob oculos ponamus. Primum in eo versatur, vt *Princeps Academiam sua peculiari dignetur cura, atque attentione*. Quod si parum illam curat, aut floccipendit, magna inde oriri Academiæ incommoda quisque facile videbit. Tunc enim pro lubitu in illa geruntur omnia. Quisque ex voluntate sua viuit. Docentium animi languent;

scunt; et cum principis parum interesse vident, num Academia floreat, nec ne, otio indulgent, laborum periculi eius famam negligunt, in socordiam abripiuntur, de Academia salute parum solliciti. Multo aliter res se habet, si ipse Princeps de Academia salute vigilat. Docentium industriam excitat, negligentiam arguit, et reprehendit. Tunc feruent animi, adest docentium æque ac discipulorum ardor. Florent in illa litterarum studia. Alterum in eo consistit, *vt Academia dignissimos semper constituat doctores, et professores.* Viros eligat, doctrinæ suæ famam iam consecutos, diligentes, litteris deditos, et vitæ academicæ adsuetos. Hi enim demum sunt, qui studiosæ iuuentuti academicæ digne inferuire possunt. Hi exteros ad se alliciunt, præsentem delectant, et Academiae sunt fulcra. Tertio *litterarum studiosis, quibus res est angusta domi, beneficia quadam conferat.* Ita enim Academiam suam non solum reddet frequentior, sed perficiet, vt numquam, eruditionis gloria pollentes, desint viri iuvenes, qui aliis sunt incitamento, Academiae decori, ac splendori. Quarto *legibus iustissimis Academiam suam regi iubeat.* Ita enim discipulorum animi ab illa non alienantur, sed abeuntes alios ad illam frequentandam incitant. Ac quinto denique, *quæ ad externum eius splendorem faciunt, liberalissime suppeditet.* Quæ si Princeps strenue obseruat, fieri sane aliter haud potest, quam vt florentissima semper Academia gaudeat conditione.

Quæ cum ita sint, de florentissimo Iuliæ nostræ Carolinæ præsentis statui qui dubitet, credo fore neminem. Certe si vnquam illa felicissimis gauisa est auspiciis, auspiciatissima nunc fruitur conditione. Habet hoc quasi sibi proprium,

vt a

vt a principibus suis in primis semper fuerit dilecta. Quem enim singularis illa fugit cura, quam Diuus IULIVS de illa gesit? Immortalis memoriæ hic princeps eam ita curæ cordique habuit, vt dicere solitus fuerit, *se cum Iulia sua ire cubitum, ac surgere, eiusque memoriã numquam posse deponere.* Facillimum foret, idem de gloriosissimæ memoriæ in regimine æque ac virtutibus Serenissimis Succesoribus comprobare, si scripti nostri ratio illud permetteret. Cum vero de præsentis florentissimo Academiæ Iuliæ Carolinæ statu verba tantum facere animus nobis sit, hisce iam supersedemus.

Qui terrarum suarum decus est, atque oblectamentum, *Serenissimus* CAROLVS nihil sane habuit antiquius, quam vt Iulia sua Carolina quam maxime floreret. Vidit enim sagacissimus Princeps pro singulari suo ingenio, quantum inde reipublicæ oriatur vtilitatis. Neque spes illum fefellit. Factum enim est hac singulari principis optimi cura, vt illa quam maxime floreat.

Quod vt paulo fufius a me proponatur, singularem illam tantum cogitemus curam, quam munificentissimus huius Academiæ Nutritor huc vsque de illa gesit, atque etiam nunc gerit. Nihil sane, quod in Academiæ cadit salutem, omittit, quin potius omni in id incumbit opera, vt eius felicitas in dies augeatur. Docentium stimulat in litteris ardorem, cum laborum suorum digna illis concedit præmia: discipulorum alit diligentiam, cum quouis modo de illorum salute sollicitus est. Optimi ac selectissimi in regimine ministri, Heri ac Principis sui imitati exemplum, de Academiæ flore dies noctesque cogitant. Et cum ipsi in litterarum studiis

VIII.

studiis sint versatissimi, earumque capiantur dulcedine: serio quoque id agunt, vt in litterarum gratiam atque incrementum conferantur omnia. Felicissimam sane Academiam, de cuius salute tantus Princeps, tanta vigilantium ministrorum stipatus corona, vigilat?

Quem nostrum fugit, quantis sumtibus, quanta cura, atque opera *Serenissimus Princeps* vndiquaque viros conquiſuerit, maximam eruditionis suæ famam consecutos, atque orbis litterati lumina? Superior, et quem iam bono cum Deo absoluimus, anni luculentissime id testantur. Mirantur exteri, audientes, quot et quantos in terras suas receperit viros eruditos, diu iam celeberrimos. Nulli certe Germaniæ Vniuersitati Iulia Carolina iamiam cedit. Alit enim in omni scientiarum genere viros longe doctissimos, versatissimos, ac celeberrimos. Quem Germanorum nomina fugiunt et merita Theologorum summorum SEIDELII, SCHVBERTI, BERTLINGII, von der HARDT, CARPZOVII. Quis ignorat Iureconsultos absolutissimos PERTSCHIVM, TOPPIVM, MENCKENIVM? Quis non iuratui Medicos præstantissimos HEISTERVM, GERIKE, et FABRICIVM? Quis non extollit Philosophos excellentissimos, FABRICIVM, KEVFFELIVM, FROBESIVM. HAEBERLINVM? Quanti nominis viros! Si illustri hæc Academia celeberrimis vquam inclita fuit viris, hisce iam celebris euasit: quorum tantus hoc tempore est numerus, quantus vquam fuit. Omnium facultatum adsunt professores longe dignissimi, eorumque tot, vt nihil amplius in quolibet scientiarum genere desiderari iure possit.

Largissima Celsissimi Principis in studiosam iuuentutem existant beneficia. Mensæ enim communes, et liberæ quantam

quantam alunt studiosorum multitudinem? Voluit optimus CAROLVS hoc suæ liberalitatis erga studiosam iuuentutem existare in hac Academia documentum, vt omnino liberas quibusdam concesserit mensas, quæ antea non fuerunt. Neque aliis in rebus academicæ deest iuuentuti.

Qua enim re melius hoc testatum facere potuisset, quam vt nuperrime adhuc *seminarium instituerit theologicum*, in quo ad officia pastoralia rite præparari debent, qui Christi ecclesiæ olim inseruire cupiunt. Non defuit quidem huc vsque Theologiæ Candidatis vtilissima occasio, e suggestu sacro sermones publice habendi, cum in templo Academico, Porta Cæli dicto, singulis festis diebus, et dominicis oratio sacra habita fuerit. At longe præstantius hoc institutum reddere voluit Serenissimus Princeps. Hunc in finem Virum Magnificum et summe Venerabilem SCHVBERTVM huius seminarii Directorem constituit, qui in illo vtilissime instituendo iam est occupatus, qua de re proximo publico programme nos fuitus instruet. Quis vero dubitat, in maximam Academicæ nostræ hoc cesurum esse laudem? Præsertim cum huius seminarii membra digna laborum præmia accipiant. Vtilissimum institutum, quod patriæ nostræ ecclesiis largissimam pollicetur messem!

Neque, quod primo loco prædicare debuissim, hic omitterendum est cellisimi animi luculentissimum testimonium, quo ante hos sex fere menses *Teutonicam, quæ huc vsque hic floruit, societatem Serenissimo suo donauit nomine, ac priuilegiis*. Quantum inde et Academicæ et studiosæ iuuentuti enascatur vtilitatis, sciunt omnes, qui de litterarum studiis ferre iudicium possunt. Artes enim, quæ ab humanitate

):(:(:

tate

tate nomen trahunt, reliquarum scientiarum quasi sunt condimentum. Quæ si in Academia rite florent, dici non potest, quantum inde lucretur splendoris ac nominis. Exempla hoc abunde testantur, quæ nostrum neminem fugiunt. Viget adhuc nostris in animis, quanta pompa, et quanta frequentia publica huius societatis facta sit sollemnis inauguratio. Exteri hoc prædicarunt æque ac mirati sunt. Membris hæc societas iam floret celeberrimis, primum inter eruditos locum merito occupantibus, et nullum est dubium, quin temporis tractu maiorem illa adhuc capiat splendorem.

Neque, quæ ad externum Academiae florem faciunt, omisit princeps liberalissimus. Disputationibus publicis huc usque sumtus largissime destinavit, ita vt scriptis Academia in dies fiat celebrior. Quid studiosæ iuuentuti vtilius, quid famæ Academiae magis proficuum excogitari potuisset?

Quantos in hortum medicum, nulli vsquam comparandum, fecerit sumtus, inter nos constat. Sumtuosissima, splendidissima et vtilissima non solum in illo extruenda curavit ædificia: sed et omnium generum ac specierum plantas vndiquaque conquirendas curavit. Quin eo vsque liberalitatis procescit, vt floram Helmstadiensem conficiendam, figurisque æneis exprimendam curet. Cui vero tam arduam rem tutius ac melius committere potuisset, quam consummatissimo HEISTERO nostro, Iuliae Carolinae æterno decori?

Quin quæ ad amoenitatem vrbis huius faciunt, clementissime omnia perfici iussit, vt æstiuo tempore exspatiandi suauißima sit occasio. Cincta iam est tota nostra vrbis, quam


quam late patet, optimis porticibus, quæ laboribus defatigatos abunde recreant. Numquam sereno ætatis cælo humanissimi colloquii, et politissimæ consuetudinis ibi deficit occasio, vnde academica iuuentus fructus capit hodie utilissimos.

Iustissimis quoque legibus huc vsque Academiam suam regi iussit iustissimus Patriæ Pater, neque quidquam hac in re desiderari passus est. Regimini Academico præfecit viros longe exercitatisimos et versatissimos, ita vt nulla in re Academiæ suæ saluti huc vsque defuerit. Fieri ergo aliter haud potuit, quam vt studiosorum numerus maxime sit auctus, atque in dies adhuc augeatur, ita vt florentissima Iulia Carolina iam fruatur conditione. Læta aduolat studiosæ iuuentutis corona, quæ vnde sitim suam in scientiis restinguat, large hic habet. Ex omnibus vndique terris adsunt ciues studiosi, Academiæ nostræ celebritate huc adducti.

Sunt hæc breuissima illa, quæ hoc loco in medium proferre apud animum constitueram. Sunt hæc laborum meorum primitiæ, quas TIBI, *Vir Magnifice, summe Venerabilis, Hospes omni pietatis cultu venerande*, sacras esse cupio. Cum enim, ex *Serenissimi nostri Principis* indulgentissimo iussu, in eo iam es, vt Sceptrum Academicum in TE suscipias, nolui hanc TIBI publice acclamandi occasionem prætermittere, quin potius ardentissima pro TE, TVAque salute fundere vota meum duxi. TE digniorem sane *Vir Magnificus ac S. V. D. von der HARDT*, qui maximis laudibus fauces Academicos huc vsque gessit, accipere non potuisset, cui illos traderet. Macte ergo, *Vir Magnifice*, hac purpura, quæ TE iam ornat. Macte noua hac dignitate, quam optime TIBI euenire ex animo opto.

XII.

opto. Faxit Deus t. o. m. vt sub tuo regimine Acade-
mico feliciter omnia cedant. Seruet *Serenissimum nostrum*
Principem cum tota celsissima Eius familia, qui Iuliam suam
Carolinam impensissime diligit. Huius bonarum artium il-
lustris sedis perennem salutem in dies promoueat, ac TE il-
lam moderante faustissima quæuis illi concedat. Seruet TE
in illius decus, atque ornamentum. Amplissimam TVAM o-
mni prosperitatis genere cumulet familiam, nullique in re
TIBI desit. Ego felicem, quin felicissimum me arbitrabor
tunc, si benevolentia TVA in posterum quoque frui mihi
contigerit. Hisce vale ac faue. D. in Acad. Iul. Carol.
d. XIII. Dec. a. c1610ccxxviii.





OK. 578 3.

H. 472.

D. VI.

II g
1074

CVM

VIR MAGNIFICVS
SVMME VENERABILIS
IOANNES ERNESTVS
SCHVBERT

X 2316424

S. S. THEOL. DOCT. ET PROF. P. O. MONASTERII
AD LAP. ST. MICHAELIS ABBAS AC SEMI-
NARIJ THEOLOG. DIRECTOR

SCEPTRVM ACADEMICVM
IN
ILLVSTRI IVLIA CAROLINA

D. II. IAN. ANNI MDCCC

PRIMA VICE

OMNIBVS ADPLAUDENTIBVS
SVSCIPERET

HANC ILLI PVRPVRAM GRATVLATVRVS
PAVCA

DE

FLORENTISSIMO IVLIAE CARO-
LINAE PRAESENTI STATV

DISSERIT

AVGVSTVS VVILHELMVS HASSEL
I. V. ST.

VVOLFENBVTTELI LITTERIS BARTSCHIANIS.

